

offendat, bene agit, & Iesum vocat ad nuptias. Hinc Apostolus. 1. Cor. 7. Propter fornicationem autem. f. vitandam, vnusquisque vxorem suam habeat, & vnaquaque virum suum; Sequitur, Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum Imperium: Sunt & alie causæ minus principales, quarum aliquæ dicuntur h onestæ vt pacis reintegratio, inimicorum reconciliatio. Minus honestæ, pulchritudo, libido, quæstus, honor secundum magistrum distinct. 34. Et secundum has personas querenda est persona secunda prole, moribus gratiosa, honesta, virtutibus diues, timore domini laudabilis, magis quam genere. Nam secundum Salomonem, mulier timens Deum; ipsa laudabitur.

Ante nuptias do minus è vocadus per noctes. Hac inueta vocari debet dominus pia oratione tribus noctibus, vt Raphael ait Tobia 3. Noctes tres sunt, tres penitentia partes, quibus nox peccatorum fugatur, contritio, confessio, satisfactio, quæ omnes matrimonii contractum præcedere debent. Hinc est, quod secundum ad legitimum ingressum requiritur animæ purgatio per confessionem, & penitentia sacramentum, maxime si mortali peccato obnoxia fuit persona contrahentes, aliis manente peccato gratia sacramentalis impeditur, & per irreuerentiam, quæ sacramento impenditur, noui peccati incurritur. Nam cum matrimonii contractus sacramentum est noue legis, & per consequens efficacium signum gratiæ infusa, tunc vel prius infusa augmentatur. Hanc gratiam non potest percipere ponens obicem peccati mortalis. Infunduntur autem duæ gratiæ contrahentibus secundum Sco. dist. 26. quarti quæst. 1. ad mutua. f. & gratiosam animorum coniunctionem, quo facilius consentiant, & honestius matrimonii onera supportent, quæ gratia valde necessaria est contrahentibus propter difficultates obligationis indissolubilis. Hac autem gratia cum non sit prima, requiritur, quod contrahens non sit factus, non modo respectu sacramenti, sed etiam penitens, siue purgatus, secun-

dum Scoti vbi supra. Et secundum Petrum de Palude in suo quarto, qui in morali contrahit per verba de præsentio, peccat mortaliter pro eo quod indignè suscipit sacramentum. Etia. 52. Mundamini, qui fertis vasa domini, multo magis, qui suscipitis sacramenta, quæ sunt vasa gratiæ. Et Dionysius de ecclesiastica hierarchia capitu. 1. Inmundis nec symbola, id est sacramentalia tangere fas est. Et Augustinus contra Perminianum. Sacramenta talia sunt vni cuique, quali corde quis acceperit ad ea viuendum est itaque in matrimonio fideliter, sollicitè, & concorditer, vt bona matrimonii, fides, scilicet proles, & sacramentum custodiantur. Fides non solum, vt non adulteretur, sed etiam, vt intra matrimonii limites debitum reddatur, pudica honestate seruata, vt sit thorus immaculatus. Quia quoriscunque coniugal is fit commixtio Christi cum ecclesia, naturalis vnio repræsentatur. Hinc discant coniuges, quanto Dei timore, & honestate agendum est opus matrimonii, cum per illam commixtionem carnalem ista purissime, ac immaculate nuptiæ significantur, quibus Christus humanam naturam carnaliter assumens eam sibi desponsauit in virginis utero, de quo processit tanquam sponsus de thalamo.

Sollicitudo, vt remoueantur omnia impedimenta conceptionis, gestationis, educationis, adhibeantur quoque omnia promouentia, vt proles sanctè educetur, non diabolo, sed Deo offeratur, alias diabolicum est matrimonium. Nec habet diabolus fideiores famulos, quam coniuges suas proles ad lasciuiam nutriendes. Sacramentum in diuisibilitatis, nedum vinculi, quod solui non potest, dicente Christo, Quod Deus coniunxit, homo non separet; sed concordia, & amoris honesti, non meretricialis. Hieronymus, Omnis audentior amator vxoris est adulter. Ideo apostolus hortatur, vt sit honorabile connubiū, & thorus immaculatus, primū animorum consensū, & amorè hone-

Quo fit viuendū in matrimonio.